

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Initia doctrinae physicae

Melanchthon, Philipp

Francoforti, 1550

VD16 M 3471

Praefatio

urn:nbn:de:bsz:31-106565

CLARIS-

SIMO VIRO, PRV-

DENTIA ET VIRTUTE PRE-

stanti Domino Michaëli Meien-

burg, Consuli Northufano, Phis

lippus Melanthon

S. D.



OTVM hoc pul-
cherrimū thea-
trum, Coelum,
Lumina, Stel-
lae, Aër, Aqua,
Terra, Plantæ,
Animantia, &
cætera mundi

corpora, ideo tanta arte conditum
est, ornatum specie, figura, harmonia
motuum, efficacia uirium, *συμμε-
τρία*, & ordine distributum, ut illu-
stre testimonium sit de Deo opifice.
Et collocatus est in hoc splendidum
domicilium Homo, & insita ei de
Deo, & de uirtute noticia, ut & sese

* 2

PRÆFATIO.

aspiciens, & oculos circumferens ad
 contuendum rerum ordinem, & con
 siderandum totius ædificationis con
 silium, agnoscat & esse Deum, men
 tem æternam, architectatricem toti
 us huius operis, sapientem, bonam,
 ueracem, iustam, beneficam, castam,
 liberrimam, & adesse huic suo operi,
 & conseruare res conditas, & insti
 tutum ordinem, & sine ulla dubita
 tione uindicem esse, & atrociam scele
 ra atrocibus poenis in hac uita puni
 re, non solum ut generis humani so
 cietatem tueatur, sed etiam ut com
 monefaciat nos de seipso: & cum ag
 noscimus esse iustum, ueracem, be
 neficum, castum, discernamus eum à
 naturis iniustis, mendacibus, obscœ
 nis, & oportere congruere nostros
 mores cum ipsius uoluntate scia
 mus.

Et si autem natura rerum non po
 test penitus perspici, nec causa tam
 mirabilem operum prius intelligi
 poterunt, quam ipsius architecti æ
 terni

PRAEFATIO.

terni Patris, Filij, & Spiritus sancti
deliberationem coram audiemus, ta-
men nunc quoque in hac caligine no-
stra, qualiscunque aspectio & consi-
deratio ordinis pulcherrimorum in
mundo corporum, aditus est & ad
agnitionem Dei, & ad uirtutem, hoc
est, ad amandum & conseruandum
ordinem & modum in omnibus ac-
tionibus. Deinde magnum uitae pre-
sidium est illa tota doctrina, quam ars
Medica complectitur.

Cum igitur manifestum sit, à Deo
ita conditos esse homines, ut natus-
ram aspiciant, doctrina de Eleme-
ntis & corporum ordine, motibus &
qualitatibus seu uiribus amanda &
colenda est. Nec profectò quidquam
homini non monstroso hac ipsa con-
sideratione dulcius est.

Hac ita esse cum sit notissimum,
tamen multi hoc studium conside-
randæ naturæ uituperant, alij aliter.
Aliqui aspernantur uniuersam phy-
sicen, ut incertam, aut non satis fir-

* 1

P R A E F A T I O.

mas causas monstrantem, ut non ostendi possunt illustres causæ, cur non certis interuallis inflammentur Cometae. Sed de certitudine infrâ respondebimus. Non enim propterea abijcienda est doctrinacerta & utilis uitæ de multis rebus, etiamsi multa ignoramus, ac sciamus uerè Dei uoluntatem esse, ut in Mundi opificio uestigia ipsius aspiciamus, & res nobis utiles ad uitam tuendam eligamus. Præparemus etiam nos ad illam æternam Academiam, in qua integram physicen discemus, cùm ideam Mundi nobis architectus ipse monstrabit.

Illis uerò iam respondebo. qui hæc Aristotelica initia deridēt tanquam tenuia, & ieiuna. Fateor esse maximi operis, & amplissimæ doctrinæ, ut ita dicam, exiguum uestibulum. Nam integra physica, quantam in hac uita possident homines, est ille torus Artium orbis, qui continet artem Medicam & Mathematam, unde multas de monstras

PRAEFATIO.

monstrationes de Figuris & motibus corporum sumi necesse est.

Sed ut cæteræ artes à paruis initijs extruuntur, ita hæc Aristotelica sunt alterius magni operis, scilicet, integræ physicae semina. Nam etiamsi maior lux in mentibus nostris fulgeret, & altius introspicere natura posset, tamen doctrina à paruis initijs inchoanda esset. Arbitror & primum Parentem generis humani sedentem in cespite, inter fragrantibus frutices, in umbra patulae arboris, Habelo suo hanc exiguam doctrinam initio tradidisse, & monstrasse ordinem & positum Cœli, Stellarum, Aëris, Aquæ, & Terræ. Et discrimina naturæ æthereæ seu celestis, & corporum mutabilium non mixtorum, quæ nos elementa uocamus, docuisse etiam quæ sint anni & mensium spacia & metes, & monuisse, hæc corpora non casu ita confluisse, sed à Deo condita, & ordine collocata esse, & quidē uelle eum

PRÆFATIO.

agnosci suam in huius machinæ & nostri generis conseruatione præsentiam.

Deinde ostendisse discrimina elementorum & qualitatum, & sapientiam Dei laudasse, qui ut uarietatem pene infinitam effectuum in elementis & mixtis includeret certis metis, sparsit in materiam inferiorem quatuor qualitates primas, quæ propemodum omnes in hac materia effectiones gubernant. Deinde iussisse obseruari, quæ in quibus corporibus excellant, quomodo harum harmonia & consensus in nostris corporibus tuendus sit. Postea iussisse, ut hominis naturam consideraret, cuius miranda est uarietas. In eodem corpore dissimilima membra & materia & usu fabricata sunt, Organa præcipua nutritionis, Sensus, Cordes affectuum, Cerebrum, & tota pars ratiocinatrix, & regina Voluntas, quæ sua quadam libertate eligit aut rejicit ea, quæ sensus ostendunt,

&c

P R A E F A T I O

& frenare aliquomodo externorum membrorum motus potest.

De harum partium uiribus & officijs, & de disciplina cum disputaret, doctrinam non angustam, nec dissimilem his nostris pagellis tradidisse eum etiam propheticam monumenta ostendunt.

Esti igitur multi haec initia tanquam tenuia aspernantur, tamē cum semina sint amplissimae doctrinae, nec cessaria esse bonae mentes intelligunt. Nec in re manifesta longiorem refutationem addam, Sed iuniores potius hortabor, ut uniuersam hanc philosophiam ament, & partes ordine discant, & in discendo iudicium adhibeant, qui Scriptores legendi sint. Non enim à Democrito aut Epicuro, aut alijs, qui usitatam doctrinam corrumpunt, ars petenda est. Eligatur & rerum doctrina, omisis inanibus cauillationibus, quales etiam haec recentior aetas miscuit communi doctrinae non paucas. Studeamus &

* 3

PRÆFATIO

genere sermonis proprio uti, & non alieno à linguæ latinæ consuetudine. Nam qui rectè loqui student, res intuentur, quibus nomina attributa sunt. E contra, cùm sermo nouus fingitur, plerunque & res mutantur, ut in Scoti & similium scriptis, non sermo tantùm corruptus est, sed umbræ rerū seu somnia excogitata sunt, quibus nouæ appellationes attributæ sunt.

Et quanquàm forma communis artium sequenda est, tamen hæc initia exemplis illustrari prodest, ut conspicatur utilitas. Sæpe igitur optaui, ut eruditus Medicus & amans hærum scholasticarum operarum, intrens uniuersam naturam, sumat hunc laborem hæc initia Aristotelica & recitandi & illustrandi.

Ego meam infirmitatem agnosco, ac si quis stulticiam esse iudicabit, quòd impar tanto oneri ausus sum hæc scribere, ab hoc ueniam potius erroris peto, quàm me excuso.

Sed

P R A E F A T I O.

Sed cūm necessarium esse statueres
 mus ego & collega nostri, Iuuentuti
 proponere & hanc philosophiæ par-
 tem, collegimus ego & Paulus Ebe-
 rus hanc syluulam. in qua mediocri
 perspicuitate recitare Aristotelica co-
 namur, quæ quidem prodesse ad na-
 turæ cognitionem existimauimus.

Vt autem Aristophanes deridens
 Socratem, fingit eum metiri passus
 pulicis, cera uelut persicos cothuro
 nos pulici induentem, ita scio mulo
 tos in hoc ipso uestibulo physices de-
 ridere *λεπτολογήματα* de materia pri-
 ma, omnibus orbata formis, & de
 priuatione. Sunt etiam qui nec Ele-
 menta rectè numerari contendunt,
 & uelut ex theogonia Hesiodi alii
 amphysicen extrui uolunt. Nec uerò
 aut defendo, aut nimium amari uolo
 omnes Aristotelis argutias. Quancūq;
 autem miscet aliquando exiles & ie-
 iunas disputationes, tamen operis
 series ad docendum accommodata
 est. **Necesse est enim in uestibulo
 doctrinæ**

id est, sub-
 tiles de
 uilibus
 rebus di-
 sputati-
 nes.

P R A E F A T I O.

doctrinae physicae numerari prima
 corpora, & postea corporibus attri-
 bui proprietates, loca, qualitates, mo-
 tus, deinde in mixtione ostendi effe-
 ctiones & gradus. Hinc ad mixta
 proceditur ad descriptionem homi-
 nis, & considerationem singulorum
 membrorum, ad naturas animanti-
 um, plantarum, & aliarum rerum in
 terra nascentium proferendas.

Hanc doctrinam cum ordine, &
 proprio genere sermonis, sine inuo-
 lucris, qualia sunt in Timæo Plato-
 nis, Aristoteles & Theophrastus tra-
 diderint, aut certè inchoarint, iudi-
 cium eorum, qui hæc Aristotelica in
 scholis proponi uoluerunt, non uis-
 tuptero. Si quando alij rectiora & ube-
 riora edent, non solùm acumen & in-
 dustriam eorum laudabimus, sed et-
 sam uoluntatem, quòd hoc miran-
 dum opificium Dei, uidelicet, omnia
 mundi corpora, uelut in luce clariore
 cæteris ostendere student. Est omnia
 no sapientia Dei, qua hanc mundi
 machinam

PRÆFATIO.

machinam construxit, imperuestigabilis. Et tamen cum ueliceam aspici, consideratio non est inutilis, & alia qua uestigia architecti deprehendi possunt. Et gratia debetur omnibus, qui partem aliquam recte & simpliciter monstrant, ac praesertim ijs, qui cum multi audacissime corruerint simplicem doctrinam, ut Democritus, Epicurei, Stoici, Pyrrhonij, & horum similes, monitores sunt iunioribus, ut uitent monstrosas opiniones, & recta artium uia quaerant ueras sententias, nec putent ingenij decus esse ludere praestigij opinionum, sed acquiescant in ueritate, ac Deo gratias agant, quod in hac caligine humanae mentis aliquas tamen scintillas suae sapientiae uult lucere, & inuentam doctrinam ad usum in uita transferant, ad tuendam ualitudinem & regendos mores, imò & ad celebrandum Deum opificem. Prauae opiniones per se nocent moribus & uitae, & contumeliosae sunt aduersus

ad hunc
modum
dicitur
quod
dicitur
dicitur
dicitur
dicitur

P R A E F A T I O.

aduersus Deum. Sed multo plus ma-
li est in ipsa consuetudine petulanter
cōtradiciendi ueris sententijs. Hic ue-
rè est, ut inquit Euripides, ἀκόλαστον
γλώσσα ἀειχίαν νόστον.

Id est, Pe-
tulans &
infrenis
lingua
morbus
turpissi-
mus.

Quare plurimum refert ingenia
recentia præmonere, & quantum fie-
ri potest, aduiesfacere, ut ament mode-
ratas sententias, graui autoritate tra-
ditas, nec artium metas euertant. Imò
ut ardentibus uotis etiam Deum fon-
tem sapientiæ orent, ut mentes docen-
tium & discipulorum gubernet.

Inseruimus igitur & quæstiones
aliquas physicis uicinas, quarum hæc
simplex & perspicua explicatio uera
est, & utilis moribus. Nec nihil ad
Ecclesiam pertinent studia doctri-
næ physicæ. Sæpissimè enim in
narratione doctrinæ cœlestis de or-
dine corporum mundi dicendum est,
sæpe de ordinis conturbatione, &
de malis, quæ auersionem à Deo in
genere humano secuta sunt. Multæ
partes doctrinæ cœlestis collatione
physicæ

P R A E F A T I O :

physices illustrandæ sunt. Sæpissimè de natura hominis dicendum est, discernendæ potentia, & monstranda quasi diuersa domicilia cognitionis & appetitionum, ostendendum quæ uires languefactæ sint, quæ regi disciplina possint. Denique multis grauissimis materijs aliquid lucis addit hæc qualiscunque naturæ aspectio. Hæc igitur studia & amari, & rectè coli opto, quibus certissimum est naturas non distortas inuitari & flexi ad uirtutem.

Edidimus autem hanc Syluulam addita tui nominis mentione, quia scimus te sapienter & grauitè de studijs doctrinæ iudicare, eaq; libenter tueri & ornare, ac consilia in gubernatione ad conseruationem honestæ disciplinæ, literarum, & doctrinæ, quæ humano generi necessaria est, referre, quo in cursu ut te Deus, æternus Pater Domini nostri Iesu Christi, conditor cœli & terræ & hominū & Ecclesiæ suæ, una cū filio suo
Domino

PRÆFATIO.

Domino nostro Iesu Christo crucifixo
pro nobis & resuscitato, & Spiritu
sancto, gubernet, optamus,
Beneuale. Die Angelorum
castorū et Deo
obedientis
um.

Anno 1549.

LIBER.